




PALAEASTRA LATINA



S U M M A R I U M

ORDINARIIS ADPROBATIO.

PUBLII VÉRGILII MARONIS VITA: (A. Mussoll).

SUB VESPERUM: (J. M. Giral).

COMMERCIUM EPISTULARE.

CONLOQUIA IN SCHOLA: Placuitne Palaestra? (R. Llobét).

CURSUS GYMNASTICUS: P. Vergili Maronis. (M. López).

NOVA ET VETERA: Microscopium. (I. González).

EXERCITATIONES SCHOLARES.

DR. JOSEPHUS FONTS.

PER ORBEM.

RESPONSORIUM: (Senex).

In operculis: Ludite in PALAEASTRA, pueril

Ludite in PALAESTRA, pueri!

El pobre y su perro

Érase un hombre desgraciado que no tenía más que su perro. Dijeronle en cierta ocasión: (1) ¿qué haces con este perro? (2) tú que no tienes lo necesario para vivir? (3) ¿No sería más razonable (4) que te deshicieras de él? (5) Entonces el infeliz, con la voz entrecortada y los ojos arrasados en lágrimas, respondió suspirando: ¿Si el perro se aparta de mí, quién me amará? (6)

(1) *Quondam.* (2) *Quid tu cum cane.* (3) *ad victimum.* (4) *nonne satius sit.* (5) *carere.* (6) *Prosequi amore.*

Un español en Rusia ⁽¹⁾

Al atravesar un día (2) un español por un pueblo de Rusia, durante el invierno, (3) se vió acosado (acometido) por algunos perros. Bajóse (4) para coger una piedra a fin (5) de ahuyentarlos; y como (6) no pudiera arrancarla del suelo por estar fuertemente agarrada por el hielo, exclamó: ¡Bonito país! (7) Sueltan (8) los perros y atan las piedras.

(1) *Nom.* (2) *Quoandam* (3) *hyeme.* (4) *demittere se.* (5) *y ahuyentarlos.* (6) *cum autem.* (7) *acus.* (8) *pasiva.*

Aufgabe

Weder durch Waffen noch durch Erbschaftsrecht (1), sondern durch seine Weisheit im Reden hat Cicero den höchsten Gipfel (2) der Ehren erreicht. (3) Die Tiger haben (4) eine grosse Behendigkeit (5) im Springen (6) und Klettern. (7) Die Lebensart (8) der Menschen ist verschieden. Die Reitkunst (9) gründet sich auf gewisse Regeln. (10) Die Sehkraft (11) bei den (12) Raubvögeln ist sehr gross. Die Heiden hatten in der Gottesverehrung (13) ganz verschiedene Arten. (14) Die Lernbegierde (15) schickt sich (16) für einen Knaben wohl, die Spielsucht (17) steht niemanden, am wenigsten ihm gut. Er wähle jene Handlungsart, (18) welche den göttlichen Gesetzen gemäss ist. (19) Die Streitbegierde (20) mancher Men-

Schen hat oft verderbliche Händel (21) herbeigeführt. (22)

(1) *jus haereditatis.* (2) *sumnum fastigium.* (3) *adipisci, advehi ad quem.* (4) *esse.* (5) *solertia.* (6) *salitre* (7) *scandere.* (8) *vivere ratio.* (9) *equitare ars.* (10) *lex.* (11) *videre facultas.* (12) *in.* (13) *deos colere.* (14) *ratio.* (15) *discere cupiditas.* (16) *decet.* (17) *ludere studium.* (18) *agere ratio.* (19) *adcommendatus.* (20) *pugnare cupiditas.* (21) *lis.* (22) *moveare.*

Luis XIV y el cortesano

Luis XIV preguntó un día (1) a uno de sus cortesanos: —Sabe V. el castellano? (2) —No, señor, le respondió el cortesano, pero (lo) aprenderé. Se aplicó mucho (para aprender) pronto (3) este idioma, porque pensaba (4) que el rey tenía intención de nombrarle (5) embajador en la corte de España, y después de algún tiempo se presentó al monarca (6) y le dijo: —Señor, (7) ahora ya sé el castellano. —Muy bien, le (respondió) el rey, (8) y le doy la enhorabuena, (9) pues en ese caso (10) puede leer el Quijote en el original.

(1) *Quondam.* (2) *scisne hispane?* (3) *Multum et diligenter incubuit in...* (4) *subj.* (5) *consilium renuntiarc.* (6) *rex.* (7) *Domine, inquit.* (8) *At rex illi: rectissime...* (9) *tibi gratulor.* (10) *Quandoquidem ita...*

La eloquencia

«Quisiera ver a la juventud más aplicada (1) a fecundar la mente de noticias útiles; ejercitar el ingenio con razonado juicio; (2) elegir las cosas que sean más del intento; escoger las palabras que se declaren mejor; disponerlo todo con el debido orden, y dar a la oración una hermosura natural y no afectada armonía. Quisiera unos entendimientos más libres, sin las pihuelas del arte; (3) unos discursos más sólidos, sin afectación de vanas sutilezas; un lenguaje más propio, sin obscuridades estudiadas; y por acabar de decirlo, (4) un juicioso pensar, disimuladamente dulce en la expresión (5) y eficazmente agradable.» (Mayans.)

(1) *Intentus.* (2) *prudenti contentione.* (3) *praeceptis non impedientibus.* (4) *et uno verbo dicam.* (5) *jucunde et simpliciter expressum.*



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotacionis annuncie, solutione ameliorata; est 6 per seculorum in Hispania, 7 in America, et 8 in religiosis civitatum. Premium militatur oportet ad Administratorem: CER-VERA (Lérida) - Universidad - España.

ORDINARIJ ADPROBATIO

Haud parvum existimantes emolumendum alumnos ex opere vestro esse percepturos, pro typis edendo menstruo de Latinitate commentario "PALAESTRA LATINA" — ejusdem censurâ a R. P. Clemente Ramos quem per praesentes designamus in singulis fasciculis exprimendâ — et veniam quam postulas et Nostram conscriptoribus benedictionem quam exoptas peramanter in Domino impertimur, omnia insuper faustissima vobis adprecantes, ut eidem Commentario et felix et optabilis et perfectus respondeat exitus.

Celsonae, 10 Septembbris 1930.

+ VALENTINUS, Episcopus.

(Locus sigilli)

Domino Emmanueli Jové, C. M. F.

Publii Vergilii Maronis vita

Mantuani vatis memoriam recolentibus non incongrue visum nobis est pauca de tanto viro deque ejusdem vita PALAESTRAE LATINAЕ lectoribus obferre degustanda.

Igitur Publius Vergilius Maro, poëtarum Latinorum facile princeps, cuius haec est maxima gloria «ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur», Andibus in vico (nunc *Pietola*),⁽¹⁾ prope Mantuam, mundum advenerat, idibus oct. an. 684 U. C. et 70 a. Ch. nat. parentibus Marone et Maia seu Magia Polla.⁽²⁾ Pater, civis Mantuanus, sive rusticus, sive opifex filius, sive mercenarius fuerit, nihil nostra refert, quamvis multa auctores sunt commenti.

Initia aetatis, id est, usque ad sedecimum annum Cremonae egit, quo anno virili toga induitus, Mediolanum transgreditur, ubi litteras Graecas ac Latinas coleret, una cum medicina et mathematicis disciplinis. Philosophiae quoque sub Syrone Epicureo operam impendit. Inde ab anno 53 a. Ch. n. nonnullis videtur Romanam transiisse (*Donatus, Vita*), ubi cum Caesare Augusto rethoricam adgressus, vix tamen pro rostris elocutum fuisse. At in Ecloga prima testatur sibi ante amissos agros Romanam ignotam fuisse.⁽³⁾ Patriam reversus (anno 44 a. Ch. n.) ibique placide conmoratus, de re familiari, de messibus colendis, de alendis belluis curam gessit donec illa largitio agraria advenit qua Vergilius Andico patrimonio spoliatus est. Tunc primum Romanam ad agros recuperandos se contulit, ubi per Asinium Pollionem commendatus est Maecenti et per hunc ad Octavianum gratiam inrepsit, cui gratus primam dicavit Eclogam eo anno conscriptam.

Statim Roma reversus Mantuam, novosque possessores ex agro ejicere conatus est, a quibus male habitus, aegre vitae suaे consuluit, Mincio natatu trajecto. Urbem regressus ut vim ei inlatam novo Octavianu edicto reprimeret, Eclogam quae ordine nona legitur, composuisse videtur, quasi libellum supplicem et calamitatis indicem; ab Octaviano benigne excipitur, atque inpetrata nanciscitur.

Omnis decem Eclogas triennio perfecit. Neapolim translatus, Georgicis, suasu Maecenatis, dat operam septemque annis consequentibus absolvit.⁽⁴⁾ Continuo, Georgica Octaviano legendapostquam obtulit, animum ad Aeneida convertit, (anno Vergilii 41) eamque per annos undecim exsequitur.

Haec opera Vergilio amicitiam ac familiaritatem hominum litteratorum attulerunt, Horatii nempe, Galli, Tuccae, Varii, Maeenatis, Pollionis, praecipue autem Caesaris Augusti, qui ea nocturna diurnaque versabat manu.

Populus quoque Romanus magnam erga Vergilium professus est reverentiam et amorem. Ingredienti forte in theatrum, cum ejus

(1) Ribbeck, *De Vita...* p. VII. — (2) Schol. Bern. ad Ecl III. 62, et ad V. 22. — (3) A. Cartault, *Etudes sur les Bucoliques de Virgile*, 1897, Paris, p. 11. — (4) Georg. IV.

versus recitarentur, cuncti et stare et plaudere, quod Imperatoris tantum honore siebat. Gloria autem haec aliorum invidiam peperit, Bavio et Naevio ducibus. Ipse vero, honoris contemptor, adclamaciones populi semper fugiebat, subfusus quodam rubore ac verecundia; quae quidem modestia maledicis quoque ansam praebebat ut ei detraherent ejusque gloriam ad nihilum regidere conarentur. De veste ac personae ornatu nullam agebat curam.

Filistus quidam ei coram Augusto: «Mutus es, inquit, aut quamvis linguam habeas defendere nescias». Vergilius ait: «Opera mea pro me loquuntur». Tunc Filisto Augustus: «Si silentium agnoscas, tibi loquelā carius sit».

Omnibus notum est illud Bathilli, qui hos Vergilii versus sibi adscribere voluit:

*«Nocte pluit tota; redeunt spectacula mane.
Divisum imperium com Jove Caesar habet».*

Quibus altera nocte subjunxit:

«Hos ego versiculos feci: tulit alter honores»

et hemistichium quatter repetitum:

«Sic vos non vobis.....»

Cum Augustus quaereret quis ea compleret, nullus adparuit nisi Vergilius, qui tunc distichorum auctor innotuit.

Redeundi bello cum Cantabris inito, Vergilius Augusto II, IV et VI Aeneidos libros praebuit, legitque coram Octavia sorore, cuius Cl. Marcellus unicus filius nuperime mortuus erat. Poëta pulcherri-
mis de illius obitu ac funere versibus sexto libro finem inposuerat,
quos audiens dicitur Augustus lacrimas fudisse, et Octavia pro sin-
gulis hujus argumenti versibus dena sextertia (id est, 32.500 libellas)
jussisse numerari, atque defecisse cum illud audiret: «Tu Marcellus
eris».

Annis jam natus duobus et quinquaginta, Aeneide confecta,
ut divinum opus expoliret, in secessum ad Graeciam se conferre de-
crevit. Cum autem Augusto Romam revertenti, Megarae in vicino
Athenis oppido obcurisset, de reditu cum eo cogitans languore
correptus est, quem non intermissa navigatio ita auxit, ut gravius in
dies tandem Brundusium adventaverit. Ibi diebus paucis obiit die
nempe 22 sept., annos natus 51, menses 11, dies 7, anno 19 a. Ch. n.
et 735 A. U. C. Corpus ejus Neapolim, ut cupierat, translatum via
Puteolana sepultum est.

Cum se aegrotantem sensisset Aeneidos adversaria cremanda
etiam atque etiam expetiisse refertur, de quo cum Augustus certior
fieret, omnino vetuit.⁽¹⁾ Sunt vero qui credant hoc esse somnium
Grammaticorum qui tunc, Caesare consentiente, id totum finxerint
ut major auctoritas huic operi pararetur.

Super Vergilii sepulcrum posita est haec inscriptio, quae falso
ab eodem dicitur conscripta:

*Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc
Parthenope; cecini pascua, rura, duces.*

(1) Plinius, 1, 7, 30.

Vergilius fuit corpore et statura grandi, si Donato fidem adhibemus, aquilino colore, facie rusticana, valetudine varia; nam plerumque ab stomacho et faucibus laborabat. Sanguinem etiam saepius ejecit; cibi vinique minimi. Fertur etiam in sermone tardissimus et paene indocto similis fuisse, nec non in oratione soluta ita ineptus ut Cicero in versibus conficiendis.⁽¹⁾

Reliquum sane vitae, et ore et animo, tam probum fuisse constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellaretur.

De Vergilii operibus deque Vergiliiana poësi nullam criticus sententiam proferam. Hoc enim faciliiori calamo reservandum censeo.

A. MUSSOLL, C. M. F.

Cervariae. Kal. Oct.

Sub vesperum

Jam sol expirans in celsi vertice collis,
ignea ceu pruna fulgurat axe suo,
atque linit vivax albentes sanguine nimbos,
qui post cernuntur luce repente nova.
Per virides frondes oculis ad sidera latis,
ornatum caelum murice conspicitur.
Prolectans Zephiri spirantes nenia flores
illorum frontes caulicolosque movet.
Passer silvarum cantat modulamine tristi
solis discessum, qui recreabat eum.
Conspicue ramis obducta virentibus arbor
concutitur leviter flamme noctifero.
Aes campanarum resonat de turribus altis;
Virgo salutatur, Mater et alma Dei.
Cymbae labentes placidas per fluminis undas
oras laetanter praecipitesque petunt.
Adversus lucem tenebrae certamina temptant,
omnes atque polos undique praeripiunt.
Lurida nox regnat pullo circumdata peplo;
omnia nocturno ducta sopore silent.
Lactea quae via currit, fusca luce nitescit,
sternuntur stellis atria siderea,
Lunaque conparens demum, ceu pendula lampas
caelorum fluitat stelligerum per iter.
O, quam pulchra, Deus, sunt haec spectacula noctis!
Omnibus in rebus magnus es usque tuis!

J. M. GIRAL, C. M. F.

(1) Seneca, Controv. III.



Commercium Epistulare

*Emmanuel JOVÉ, C. M. F., Andreae AVENARIO,
Socio Verbi Divini (S. V. D.) salutem.*

Novum facinus, ut ajebas, adgressurus, vir desideratissime, facere non possum quin ad te opis et consilii caussa recurram.

Qui adhuc domesticus fuit commentarius, eum alatis pinnis instructum per orbem mittere consilium erat. Attamen, clarorum virorum nominibus oportet jam ab initio ad calcem articulorum splendeat commentarius, dum animosa juvenus in exprimendis latine animi sensibus virile robur adquirat.

Id quidem negotii, ut non ignoras, ex iis potissimum est quod numquam adsequeris nisi calamum continenter exercueris. Quare adulescentibus, qui inter ceteros ad humanitatem ingenio pollent et gustu, PALAESTRAM LATINAM aperuimus ut crebro vires experiantur suas.

Tu vero, qui in re conatus nostros per duos annos amantissime ex alta Driburgensi specula prospexit, nonne dux expertus ad milites descendes ut eorum animis novum decertandi ingeras ardorem?

Ecce te pueri vocant, qui primis Latinis litteris imbuuntur, te qui gymnasi superarunt gradus, te qui tuum Avenarii nomen tanquam conlegae in cathedra carissimi haud semel pronuntiarunt.

Pro certo tibi persuade fore ut, plurimi virum Germano nomine latine faciliter sermone loquentem ad nostram palaestram doctorum venisse cum sclerint, ad eam ultro congregentur. Sed, quod magni etiam faciemus, cum discipulis tuis accedas oportet. Sine dubio summo erit eis gaudio atque voluptati semel atque iterum Hispaniam mente invisere, quam trahaculo vectis, ut nunc est, non licet videre. Eam seliges in sectionibus, quae tibi magis adiserit.

Exspecto igitur tuas litteras easque gratissimas, quas PALAESTRAE LATINAЕ ingeram omnium socrorum plausu,

*Andreas AVENARIUS, S. V. D., (Socius Verbi Divini)
Emmanueli Jové, C. M. F.*

Quid mirum, si tu, tardante responsione mea tamdiu, jam suspicari coepisti litteras tuas in via excidisse? Sed recte sunt redditiae, et quod rem aliquam graviorem videbantur adferre, inlico ruptum involucrum est. Unquamne putarem tantum te tam mature opus moliturum esse? Tu vero perge commentario nostro aptare pennas, quibus per orbem volitet universum, etiam in hunc remotiorem terrae angulum. Sane ego, cum perlegisset rerum in PALAESTRA exhibendarum ordinem, in memoriam redii eorum verborum, quae in ALMAE ROMAE epistula expresseram. Et utinam missello mihi per tot occupationes scholae et sexenta vitae hujus communis officiola, postremo per ingenii exilitatem mei (quod tuis laudibus nihil augetur) liceat te in fabricandis pennis adjuvare! Quasi vero tu non ipse his annis meam senseris in ALMA ROMA raritatem, cum seriam Fornario promisissem operam. Estne hoc prudentis hominis, quae postea exsolvere non posse videris, polliceri? Sed ne frusta speraveris de amico, neve desideretur exspectatum illud Avenarii nomen, me tuo ductus amore profiteor paratum esse, ubi ab aliquo ex «palaestricis» aliquid interrogatus fuerim, respondere et interdum etiam loqui varia ne interrogatum quidem. Est autem mihi persuasum numquam tibi pennarum illarum copiam defuturam esse. Tantum ergo his duobus annis ex alta Driburgi specula videbam in vobis et vel in adulescentulis vestris ardorem rei Latinae, ut aliquando laboratus sis in inventendo tot pennis spatio. Vale. Christus Rex te regni linguam promovet usque foveat! Te semper Deipara adjuvet!

Ille vero liber Schwienteki popularis, ut opinor, mei de Hispania, quem nuper ad me misisti, me desiderio implet Hispaniae, ut, si meo staret arbitrio, certe cogitarem in Hispaniam. At nunc mente evolantibus alae reciduntur oboedientiae gladio.

Ex Aquis Driburgensibus in Westfalia.

Conloquia in schola

Placuitne Palaestra?

Personae: ANTONIUS, PETRUS et NICOLAUS.

(Sedens Antonius legit PALAESTRAM, ad quem Petrus pedetentim accedit).

P.—Antoni!

A.—Hem! tune hac? quid ergo?

P.—(Inridens). Tu semper in litteris abditus!

A.—(Subiratus). Tua quid refert? Longe recede, si mea non placet indoles. Meum a lectione animum ne abducas.

P.—Audaciae ignosce meae, neque subcenses mihi, obsecro; talia enim verba non protuli ut te a labore distraham; dixi autem per jocum. Scire tamen velim quisnam sit iste commentarius; quonam inscribatur titulo; adhuc enim ignotus mihi omnino erat. (Ipse Petrus voluntat commentarii pagellas cuius nomen inspici).

A.—(Sedatus). Sede, Petre, sede et tecum parumper loquar. Commentarius hic a Missionariis Filiis Inmaculati Cordis Mariae editur Cervariae. Ex titulo, qui magnis inscribitur typis, ejusdem cognoscere scopum, scilicet: omni studio, pro virili parte, in Latinas litteras amorem fore.

P.—Quotiens in anno lucem videt?

A.—Noviens, et est mensilis ut Seminario- rum et Lyceorum alumnis morem gerat, qui novem in curriculo menses transigunt, a mense octobri scilicet ad julium, quo fere mense, aut prius, tentaminibus peractis, in domum quisque suam redeunt. At... accipe, perlege... Placetne?

P.—Supra modum. Jam dudum quaerebam aliquod Latinitatis praeconium, eo quod me adeo delectent litterae Latinae. Ecce tandem PALAESTRA LATINA.

¿Qué tal la «Palaestra»?

Personajes: ANTONIO, PEDRO y NICOLÁS.

(Antonio sentado, leyendo la PALAESTRA; Pedro se le acerca poco a poco.)

P.—¡Antonio!

A.—¡Holal! ¿Tú por aquí? ¿Pues que viento te trae?

P.—(En tono burlón). Tú siempre engolfado en los estudios.

A.—(Molestando). ¿Y a tí qué? Ya te puedes marchar bien lejos, si es que no te gusta este mi natural, y no me distraigas ahora de la lectura.

P.—Dispensa mi atrevimiento y no te enfades; pues no lo he dicho para distraerte de tu ocupación; ha sido una broma. Mas quisiera saber qué revista es esa y qué título tiene, pues todavía no tenía noticia de ella (El mismo Pedro hojea la revista y mira su título.)

A.—(Apaciguado) Siéntate, Pedro, siéntate y hablemos un poco. Esta revista la publican en Cervera los Missioneros Hijos del Sdó. Corazón de María. Por el título que aparece en gruesos caracteres conocerás su fin: promover con todo empeño, en cuanto les sea posible, el amor a la bella Latinitad.

P.—¿Cuántas veces se publica al año?

A.—Nueve veces, y es mensual; se hace para favorecer a los alumnos de Seminarios y Liceos, cuyo curso suele durar nueve meses, desde octubre hasta julio en el cual mes, si no antes, acostumbran retirarse a sus casas después de los exámenes. Pero... tómala, léela desde el principio hasta el fin... ¿Te gusta?

P.—Muchísimo. Hacía ya tiempo que andaba tras una publicación de Latinitad por lo mucho que me gusta el latín; he aquí por fin la PALAESTRA

*Nihil acceperam de eo commentario.
Sed a Missionariis editur?*

A.—*Ita prorsus, quod tibi jam antea dixi.*

P.—*Illi quidem omni digni sunt laude.*

A.—*Ita enimvero. Ecce venit Nicolaus familiaris noster.*

P.—(Exultans laetitia). *Nicolaus: ain? (Respiciens vociferatur): Nicolaë, Nicolaë, festina, proropa.*

N.—*Quid properem? (Et celeri cursu omnique virium contentione ad eos venit et dicit): Ecce me, amici, quid ergo me vultis?*

P.—*Unum a te quaero: an placeant litterae Latinae.*

N.—(Ironico risu et halitu sublimi ob lassitudinem). *An placeant? Quidnisi? Nonne sat vosmetipsi nostis, mei qui in eo studio fuitis sodales?*

P.—*Si ergo delectant, en commentarium nuper editum. (Et tradit illi: sibi legit Nicolaus).*

A.—*Placet, nonne?*

N.—*Quidem, pallato meo melle dulci dulcissimus, auribusque melo suavi jucundius.*

A.—*Fortasse voles illi te subscribere.*

N.—*Volo, siquidem commentarii dotes habet hujusmodi: nitorem exhibitionis, varietatem, elegantiamque sermonis, amoenitatem, gratiam...*

A.—*His omnibus de causis primus ego me illi sociavi, fautorumque praebui: te que illi quoque, Petre, socium adjunge.*

P.—*Adjungo: fidem do tibi. Tu, Nicolaë, quid?*

N.—*Dixi jam me velle PALAESTRAE LATINAЕ sociari. atque ejusdem esse fautorem: jamdiu enim optimum Latinitatis praeconium magno opere desiderabam et quoniam haec PALAESTRA et LATINA est et candida et jucunda et praestans,*

LATINA. Y nada sabía yo de esta Revista. Pero ¿la publican los Missioneros?

A.—Sí, hombre, sí; ya te lo he dicho antes.

P.—Pues ciertamente son dignos de toda alabanza.

A.—Sin duda alguna. Mas hete aquí a nuestro amigo Nicolás.

P.—(Lleno de gozo) ¿Nicolás dices? (Volviéndose grita): Nicolás: Nicolás; ven aprisa, corre.

N.—¿Porqué correr? (Y acelerando el paso llega a ellos y dice): Ya estoy aquí, amigos ¿que me queréis?

P.—Sólo una cosa: ¿Te gusta el latín?

N.—(Con sonrisa irónica después de respirar profundamente a causa del sofocamiento) ¿Que si me gusta? ¿Cómo no? ¿Aun no lo sabéis vosotros que fuisteis mis compañeros en este estudio?

P.—Pues si te gusta, aquí tienes esta revista que se acaba de publicar. (Se la entrega y Nicolás comienza a leer para si)

A.—Te gusta, ¿no es verdad?

N.—Ciertamente. Es como dulcísima miel a mí paladar y cual gratisima melodía a mis oídos.

A.—Quizá querrás suscribirte a ella.

N.—Sí que lo quiero, pues tiene muy apreciables cualidades, como nitidez, variedad, elegancia, amenidad, gracia....

A.—Por todas estas razones me suscribí yo primero y me hice su propagandista: suscríbete también tú, Pedro.

P.—Me suscribo, te doy palabra: y tú Nicolás ¿qué?

N.—Ya dije que quería suscribirme a PALAESTRA LATINA y ser su favorecedor; porque hacía tiempo que vivamente deseaba un órgano sobre latinidad; y ya que la PALAESTRA LATINA es sencilla, amena y útil, en-

*idcirco cum ea societatem ineo. (Ardens animatione et manu PALAES-
TRAM efferens in altum, in hanc sta-
tim exclamationem inrumpit):*

*O PALAESTRA, caeli te beent, tibi-
que prosperent!*

RAIMUNDUS M. LLOBET, C. M. F.

Celsonae.

tro con ella en amistosa sociedad.
(*Entusiasmado y levantando en alto
la PALESTRA prorrumpie en esta ex-
clamación*):

*[Oh PALESTRA, dichosa, te haga
el cielo y te otorgue vida próspera!]*

CURSUS GYMNASTICUS

ANNUS IV

P. VERGILII MARONIS

ECLOGA I

TITYRUS ET MELIBOEUS

M. — Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena:
nos patriae fines et dulcia linquimus arva.
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, latus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5

Musam meditaris: entonas canciones... — *Nos fugimus,* tu latus...: contraste muy gracioso. — *Amaryllida:* accusativo greco-latino. *Amarilis y Galatea* eran dos pastoras, amigas de Virgilio o Títiro.

T. — O Meliboe, deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10

Melibeo, vaquero, representa a los Mantuanos desposeídos de sus campos. — *Deus:* así llama a César Augusto con ánimo agradecido por haberle conservado sus posesiones. — *Imbuo:* bañar. — *Illiis:* la i breve, lo que es frecuente en poesía con los adjetivos de esta clase, menos con *alius*. — *Errare:* pacer. — *Permitit:* este verbo puede llevar el determinado a subjuntivo o a infinitivo, por presentar una idea de voluntad poco definida. — *Ipse:* suple con gracia al pronombre personal.

M. — Non equidem invideo, miror magis; undique totis
usque adeo turbatur agris. En ipse capellas
protenus aeger ago: hanc enim vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos

spem gregis, a, silice in nuda conixa reliquit.
 Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisse,
 de caelo tactas memini praedicere quercus.
 Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

15

Evidem: en buena latinidad suele ir sólo con 1.^a persona; tiéneselo por contradicción de *ego quidem*. — *Magis:* antes bien. — *Undique totis:* tal es la turbación que reina por doquier en todos los campos: *epifonema*. Las expresiones de lugar *por dónde*, que generalmente deben ponerse en acusativo con *per*, pónense en ablativo sin prep. con el adj. *totus*. — *Protenus:* hacia adelante. — *Conixa:* con dificultad ha dado a luz... — *Saepe...*: superstición muy propia de pastores. — *Si mens...*: si nuestro juicio no fuera errado. — *Memini praedicere:* podía haber dicho *praedixisse*: ambas formas de inf. carecen de suyo de la idea de tiempo, pero una va con tiempo histórico y otra con principal, y como para los latinos *memini* era las dos cosas, le daban indistintamente las dos formas de infinitivo. Después de este verso solía añadirse otro: *saepe sinistra...* que hoy es tenido por interpolado. (Ecl. IX, v. 15). — *Da...*: dinos... — *Dare y accipere* muy usados por Terencio en vez de *dicere y audire*.

T. — Urbem quam dicunt Romam, Meliboei, putavi
 stultus ego, huic nostrae similem, quo saepe solemus
 pastores ovium teneros depellere fetus.
 Sic canibus catus similes, sic matribus haedos
 nōram, sic parvis conponere magna solebam.
 Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes
 quantum lenta solent inter viburna cupressi.

20

25

Depellere: llevar. — *Alias inter:* esta prep. fácilmente se pospone en poesía y aun en prosa.

M. — Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?
 T. — Libertas, quae, sera, tamen respexit inertem,
 candidior postquam tondenti barba cadebat;
 respexit tamen et longo post tempore venit,
 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
 Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
 nec spes libertatis erat nec cura peculi,
 Quamvis multa meis exiret victima saeptis,
 pinguis et ingratiae premeretur caseus urbi,
 non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

30

35

Respexit...: mirar desde arriba... porque diviniza la libertad. — *Candidior:* Virgilio no tenía más que 29 años. — *Peculi:* por *peculii*. Peculio era el dinero que ganaban los esclavos, con el cual podían comprar su libertad. — *Multa víctima:* Virgilio usa mucho esta sinéctodoque del singular por el plural.

M. — Mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares;
cui pendere sua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, plinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

Mirabar: Amarilis estaba triste por la ausencia de Títiro, que había ido a ver Roma, como lo acaba de contar. Melibeo reprende por ello a Títiro en estos versos, y éste se sincera luego: *Quid facerem?* Después va al asunto: *Hic illum...—Aberat*: la última sílaba larga por licencia, por ser cesura llamada *masculina*.

T.—Quid facerem? neque servicio me extre licebat
nec tam praesentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Meliboeum, quotannis
bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
«pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros».

40

Praesens: propicio.—*Juvenem*: Octaviano, de 22 años entonces.—*Submitto*: uncir.

M.—Fortunate senex! ergo tua rura manebunt.
Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
limosoque palus obducat pascua junco.
Non insueta graves temptabunt pabula fetas,
nec mala vicini pecoris contagia laudent.
Fortunate senex! hic inter flumina nota
et fontes sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti
saepè levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:
nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes
nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

50


55

Obduco: cubrir. — *Temptare*: dañar. Así debe escribirse según la regla de L. Müller: «Ubi duplex constat scriptura, ea est adhibenda quae commendatur soni suavitate: v. c. scribendum *tempo*, non *temto* (y por corrupción *tento*) (*De Orth.*) — *Flumina nota*: el río Menzo y el Po. — *Fontes sacros*: las fuentes eran sagradas porque estaban dedicadas a las ninfas. — *Frigus opacum*: la fresca sombra: metonimia. — *Hinc tibi...*: el orden es: *Hinc saepes, quae (est) ab limite vicino, depasta semper florem salicti apibus...* *Depasta florem*: grecismo.

M. LÓPEZ DE ZUBIRÍA, C. M. F.

NOVA ET VETERA

MICROSCOPIUM



Microscopium est instrumentum ad opticem spectans explorationique rerum perquam exiguarum magno opere inserviens. Ejus modi scilicet ope efficitur quod miris dimensionibus amplificate adpareant ea quae intuemur, et plurima, visui prorsus impervia, visibilia reddantur.

Microscopia simpliciora theorice ad lentem convergentem parvae distantiae *focallis* rediguntur, dum duobus generibus lentum, *objectivo* et *oculario*, perfectiora ornantur. Microscopium est maximi momenti in scientiis potissimum physiologicis et geologicis ad arcana vitae parvorum organismorum detectenda atque intimam corporum structuram.

VOCABULARIUM⁽¹⁾

1 Ocular	+ <i>ocularium</i>	9 Tornillo	* <i>tornellus</i>
2 Tubo estirable	<i>tubus ductilis</i> .	10 Pie	<i>fulmentum</i>
3 Tubo fijo	<i>tubus fixus</i>	11 Cremallera	+ <i>rechamus</i>
4 Revólver	+ <i>verticulum</i>	12 Piñón	+ <i>pinnula</i>
5 Objetivo	* <i>objectivum</i>	13 Preparación	<i>praeparatio</i>
6 Platina	+ <i>catinus</i>	14 Pinza	<i>volsella</i>
7 Condensador	* <i>condensatorium</i>	15 Tornillo	<i>tornellus</i>
8 Espejo	<i>speculum</i>	micrométrico	<i>micrometricus</i>

ACTUARIA

(1) Haec sectio, cum sit in primis constituta ad Latinum sermonem aptandum necessitatibus hodiernis, nonnulla erunt vocabula aut adcommoda aut omnino excudenda; idcirco illa cruce+, haec vero stellula* distinguemus ut citius innotescant lectoribus, quos quidem, feliciora nostris vel aptiora vocabula, si forte invenerint, ut innuere velint vehementer rogamus.

Explicatio picturae. Pictura repreaesentat *stativum magnae adcuratio-*
nis (precisión), et usque ad 90^{am} gradum inclinabile. Sicut omne microsco-
pium, duo habet systemata lentium, *objectivum* (5) et *ocularium* (1), ea tamen
lege disposita, ut alterum (*objectivum*) imaginem realem, inversam et satis
amplificatam in penitiore tubo efficiat; alterum (*ocularium*). ad modum micros-
copii simplicis se habens, hanc ipsam imaginem in virtualem, rectam et magis
amplificatam convertat.

Praesentis adparatus *infocatio* rapide auxilio *pinnulae* (12) et *recha-
mi* (11) obtinetur, perficitur autem per *tornellum micrometricum* (15) sine fine,
qui omne punctum mortuum declinat, quique, cum eodem semper tenore vol-
vatur, sursum deorsum intra certos limites tubum (2) agit et impedit ne in
praeparatione (13) attigenda *objectivum* (5) frangat *protecticulum* (cubreob-
jetos).

Catinus (6) est 10 x 12^{1/2} cm. amplius et *guajaco* (caucho) redimitus; ei
praeparatio superinponitur. *Verticulum* (4) tribus *objectivis* constat; *condensa-
torium* (7) autem tribus lensibus, diaphragmate, iride, anello gyratorio conflat-
tur, ad vitra, quae radios lucis artificialis leniunt, fulcienda.

DIVERSA OCULARIA INSTRUMENTA

Anteojos	+ <i>conspicillum</i>	Helioscopio	* <i>helioscopium</i>
Binóculo	* <i>binoculum</i>	Lente	+ <i>lens</i>
Calidoscopio	* <i>calidoscopium</i>	Luneta	+ <i>specillum</i>
Cine	* <i>cinematographum</i>	Monóculo	+ <i>monoculum</i>
Cristal	<i>crystallus</i>	Periscopio	* <i>periscopium</i>
Especroscopio	* <i>spectroscopium</i>	Prismático	* <i>prismaticum</i>
Estereoscopio	* <i>stereoscopium</i>	Reflector	* <i>reflectorium</i>
Gemelo	+ <i>gemellum</i>	Telescopio	* <i>telescopium</i>

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Divinitus provisum est ut sermo Latinus mirifico esset usui
Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni
gente magnum ministraret vinculum unitatis eis dando... unde
Ecclesiae Matris sunt altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite
artius cohaererent. (Pius Papa XI, Epist. Apost. «Officiorum omnium»,
aug. 1922.)

EXERCITATIONES SCHOLARES

Censorinus palaestritis suis

Ante PALAESTRAM LATINAM ludebat in superiore studiorum carri-
culo CANDIDATUS LATINUS. Ipse certamina aliis adolescentibus propone-
bat quibus ad exercendas Romanorum litteras eos provocaret. In tertio certa-
mine, quod fuit postremum, plures etiam contenderunt, atamen victorum
nomina, CANDIDATO in PALAESTRAM transeunte, nondum fuerunt reye-
lata neque tantae contentiois exitus.

Ne igitur frustrentur praemio qui illud meruerint neque veteres lectores
ignorent quo pacto sese habuerint in armis qui palmam sunt adsecuti, illi prio-
res in exercitationibus scholaribus hodie prodeunt.

Praemium primum: Completa
centum imaginum conlectio nobilis pic-
toris R. Leinweber, quibus locos Historiae
Sacrae insigniores tum veteris tum novi
Testamenti mirifice adumbravit.

DEIPARAE VIRGINI

Virgo, quae cunctos teneris ab annis
angelos caeli superasti amore,
me tibi natum, Genitrix Satoris,
trado fidelem;
Et tuum tantum celebrans pudorem
corpus et sensus animamque dono;
ne meam culpa maculent per aevum
postulo mentem.
O meo semper per amanda cordi,
Mater a Jesu merito vocata!
me tibi totum deditum, Maria,
respice natum.
Quae rosas vincis violasque odore
et cados mellis quoque suavitate,
spem meam in Te jam posui, nec ullo
tempore fallar.

Johannes ABAD, C. M. P.
Cervariae.

Praemium secundum: «Las glo-
rias de María».

Egomet N. N. ardenter cuperem in
me omnes hominum esse vitas ut eas in
cultu Deiparae adhiberem; cunctas om-
nium sanctorum caelestium atque sanctarum
me vitas possidere desiderarem ad
Sanctissimam Virginem Mariam ea per-

fectissima flagrantissimaque dilectione
prosequendam qua eandem redamant.
Toto corde exopto ut omnia regna,
provinciae, civitates, populi; homines
et feminae, pueri puellaeque in illis
habitantes caelicolarum fervore Mariam
Sanctissimam cognoscant, diligent, col-
lant, elucidentque. Mortem oppetere
propter amorem et venerationem erga
Mariam Sanctissimam, Virginem et Ma-
trem Dei, et sanguinem opto effundere
extremum.

Jesus mihi gratiam virtutemque
praebeat, quibus est mihi opus, ut in cru-
ciatum mea omnia membra agantur at-
que singula secentur propter Mariae,
Matris Dei et meae amorem atque
reverentiam.

Johachim NAVARRO, C. M. P.
Rhetorices alumnus.
Sancti Domini Calceatensis.

Praemium tertium: Exemplar o-
pusculi «Mes de Mayo Misionero»:

AMOR POSTULANTUM ERGA
VIRGINEM MARIAM.

Quam tener sit Postulantis erga
Btam. Virginem amor admirabile sem-
per est dictu. Quomodo igitur tantum
tamque tenerum manifestent amorem?
Illi enim Cordis Mariae filioli summo
cum gudio Ejus celebrant festivitates
eisdemque diebus Illam quam dili-
gentissime exornandam magno curant
studio. Eorum mentes eorumque corda
dies noctesque de Illa cogitant ceteros-

que etiam ad Eam diligendam vehemen-
ter exacuunt. De Illa quoque frequentem
habent sermonem.

Mariae dilectissimi filii alia quidem
permulta suae Matris obferunt dona
quae certe non pauca spiritualia sunt.
Inprimis Ejus temporibus quinquaginta
salutationum angelicarum serta ter repe-
rita inectunt ejusque etiam virtutes sum-
ma imitantur diligentia et, si quid mali

els acciderit, magna ducti fiducia Ejus ad-
volant pedes, neque prius discedunt
quam optatam gratiam consequantur.

Videre est igitur quam sit tener erga Beatissimam Virginem hic Postulantium amor.

Teodorus DUBLAN, C. M. P.

Cervariae.

Italiae descriptio Vergiliiana

II (1)

*Addet tot egregias urbes operumque laborem.
Tot congesta manu praeruptis oppida saxis
Fluminaque antiquos supter labentia muros.
An mare quod supra memorem, quodque adluit
[infra]
Anne lacus tantos? Te, Lari maxime, teque,
Fluctibus ac fremitu adsurgens, Benace, marino?
An memorem portus Lucrinoque addita claustra
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Julia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrenenusque fretis inmittitur aestus Avernisi?
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
Ostendit venis atque auro plurima fluxit.
Haec genus acre virum Marsos pubemque Sabellam
Adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos
Extulit, haec Decios Marios magnosque Camillos
Scipiadas duros bello et te, Maxime Caesar,
Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum,*

Descripción de Italia

11

Mira el continuo trabajo
de las urbes italianas,
de no labrados peñascos
sus mansiones fabricadas,
y los ríos deslizándose
bajo sus viejas murallas.
¿Acaso me olvidaré
de los mares de Toscana
y del anchuroso Adriático
y de sus lagunas amplias
y del grande lago Como,
y del Garda que se alza
engreído con sus ondas?
¿Los diques de la Campania
y su puerto olvidaré
y las olas encrespadas
y el estridor de maromas
por donde las julias aguas
en los mares del Averno
confundense a gran distancia?
Ríos de plata y de cobre
de su rico seno manan.
Marsos y Sabinos jóvenes
ofrece esta invicta raza
y Ligures al mal prontos
y al Volsco armado de lanza,
a Decios, Marios, Camilos
y Escipiones en batallas
invictos, y a tí, mi César,
que ya vencedor en Asia
apartas al feroz Indo
de las defensas Romanas.

F. AMARGANT, C. M. P.

(1) Vid. num. sup. p. 13.

Dr. Josephus Fonts.

PALAEASTRA LATINA pullo hanc pagellam induere cogitur et lacrimis interlinere. Nuntio luctuosissimo contristati sumus, quo Rdus. Dr. Antonius Reixach nostrum moderatorem oppressit. Subito mortis periculo, ut credebatur paucis ante diebus, de nostro Fontio meliora sperabamus, cum hujus schedae postalis missionem accepimus:

Rdo. P. Emm. Jové, C. M. F.

Vici, 17 oct. 1930

«Carissime: Dolore oppressus tibi verba faciam. Hodie fere hora septima matutina Fontius noster egit animam *peritonitico* morbo correptus. R. I. P. Abs dubio in pace requiescit qui heri SSMo. Viatico iterum solemniter recreatus et in finem plane sui compos vernacula lingua dixisse fertur: «*Contritus morior*». Tuam vix PALABSTRAM laetus legentem audivi, cum in altera palaestra, patientiae scilicet christianaee in doloribus tolerandis, mirum in modum se se exercuit, in qua bravium iam comprehendit, ubi lux perpetua luceat ei. Lungen familiares, conlegae, Seminarium, Latinae etiam litterae lugent.»

Hortae in vico provinciae Barcinoensis natus est anno 1877. Caelesti adflatui obsequens ad Seminarium Vicense se contulit, ubi Sacerdotalibus studiis operam frugiferam dedit. Sacram ordinationem ubi recepit paroeciali munere functus est, donec anno 1913 a perinlustri Episcopo Torras et Bages ad cathedram rhetorices est cooptatus. Latinitatis excitor egregius fuit cum vincita tum soluta oratione. Praecipua ejusdem opera recensentur *Nova Lira, Episcopalia, Tentamina Hexametri et Odarum Liber* cui postremam manum nondum inposuerat, praeter quosdam in ALMA ROMA articulos in lucem editos.

Sacerdos fuit eximiae in Deum pietatis. Doctiores homines eum toto corde colebant, maxime P. Thomas Vinyas, Sch. P., P. Reuss, C. SS. R., Prof. Galdí, P. Tarrats, S. I., et carissimus hujuscemodi commentarii Moderator praeclarus, qui eum fratris loco habebat. Vita decessit die 17 mensis octobris, omnibus Ecclesiae auxiliis communitus quae piissime exceptit. R. I. P.

PER ORBEM

XV Centenarium obitus Divi Augustini. — Nullus in toto orbe catholicō exstat commentator, qui de Divi Augustini XV centenario sollemniter celebrando sive celebrato non occupet tum ignaros, tum maxime doctos homines. Eundem sibi scopum proposuerunt «Hebdomada Eucharistica Mediolanensis nec non Carthaginensis Eucharisticus Congressus, de quibus lectores nunc certiores facere nostrum non est munus.

Prius forte quam hic annus absolutatur, in nostro Commentario fieri sermo de Augustino rethore, qui, ut vobis omnibus aperatum est, scripto-

res omnes Latinos magni faciebat et sibi cordi erant, praecipue Vergilius, Horatius et Tullius, de quorum sententiis contexta habet opera. Quin immo «De Grammatica» librum conscripsit, qui ad nos usque pervenit, nec non «De pulcro et apto», «De ordine» et quam plures alios.

Certamen Poëticum Hoeufftianum. — A primis jam numeris lectoribus nostris notum esse volumus certamen quotannis indici Amstelodami Latinorum carminum, ad quod undique terrarum vates concurrere possunt. Praemium victoris est nummus aureus quadringentorum florenorum. Nullum est aliud, nisi quod carmina omnia, magna laude ornata, in volu-

men recipiuntur, sumptibus legati editum, si eorum autores scidularum suarum aperiendarum dederint veniam. Quis autem et quando legatum illud reliquerit in alio numero declarabimus. Nunc autem sufficiat leges cerimoniae patefacere.

- a) *Carmina Latina sunt;*
- b) Non ex alio sermone versa;
- c) Non prius edita;
- d) Nec argumenti privati;
- e) Nec quinquaginta versibus breviora;
- f) Nitide et ignota judicibus manuscripta;
- g) Quavis sententia munita, scidulae obsignatae etiam inscribenda, quae poëtae manifestaria (*señas*) indicabit.

Judicibus quoque gratum erit, si poëtae dactylographo carmina transcriperint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Carmina mitti debent singulis annis ante Kal. Jan. ut judicentur mense Majo. Incipiant igitur vates carmina parare ad annum 1931.

Mittentur carmina ad
«Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis,
AMSTERDAM.

Poëtica per mare nostrum peregrinatio.—Novam quidem Vergiliani honestandi bis millesimi anniversarii formam ostendit universo Gens Italica. Sub auspiciis Regalis Academiae Nationis Societatis Navalium Italia peregrinationem ordinavit qua non tantum sedes percurrentur in Aeneide laudatae sed etiam quae tanto viro hospitio vitae fuere. In navigio «Aquila» nomine vectores omnes in cultu litterarum Latinarum maxime versati Brundisium primum adputere, inde Buthrotum et Corcyram et Tarentum et Messenam, ut subinde Neapolim devenient et postquam Cumam civitatem atque Pompejam visissent Itineri recreatori eidemque litterario Civitate Vetere et Romae finem inponerent. Namque notandum est iter ejusmodi non fuisse animi tantem causa sed potius ut pectori peregrinantium altius infligerentur loci illi quos in Aeneide Mantuanus legitibus obfert quosque

pro re nata professor aliquis legebat et commentabatur.

Responsorium

M. L.—*Int.* Magna est contentio de pronuntiatione u post q sequente vocali quam putant aliqui inenodabilem. Velim quid tu de ea quaestione sentias cognoscere.

Resp. Nedum inenodabilem quaestionem sentiam potius definitam eam puto. Apud populos Saxones id non agitur, ibi enim ita pronuntiatur qu sicuti est. Audi Germanum hominem scilicet in *Quall. Quelle...* et animadvertes u ita sonare ut si esset Kvall, Kvelle... Revera u post q nunquam est vocalis, semper est consona liquida, ut adserit philologiae vere portentum, magnus ille Joh. Ger. Vossius (1). Idem dic de u post *ng*. In aliis casibus u post g est u vocalis et debet perfecte pronuntiari. Hoc est verum in hac re quod loculentissime potest demonstrari; alia omnia sunt commenta.

Idem.—*Int.* Nostin', vocabularium quodpiam manuale Latinum-Hispanicum et Hispanicum-Latinum?

Resp. Nullum sane magis manuale novi quam vocabularium quod Lomas edidit. Quam diu apud nos desideratur illi simile quod in Germania edidit Langescheit omnibus partibus donatum.

P. D.—*Int.* Quare in PALAESTRA LATINA nuntia latine non adparent?

Res. Hoc pendet omnino ab nuntiantium voluntate. Arbitratur illi quidem, plerique Latinæ linguae ignorari, vernacule vel apud lectores nostros clarius intellegi. Qui merces suas latine adnuntiari voluerint, iis uno sat erit verbo.—SENEX.

(1) *Vossius. De Arte Gramm. I. I.c. XIX.*

INPRIMI POTEST

Nicolau García, C. M. F.
Sup. Graña.

NIHIL OBSTAT

Clemens Ramos, C. M. F.
Censor

INPRIMATOR

Valentianus, Episc.

Typegraphia F. Camps Calmet. — Tarregae

N O T A N D A

1. Praeter opercula PALAESTRA LATINA sexdecim continet pagellas, in quarto majore centimetris 17/24.
 2. Quotannis mense octobri ordietur, novemque editis fasciculis per totidem menses curriculi scholaris, mense junio claudetur.
 3. Subnotationes semper mense octobri incipient. Qui igitur post eum mensem PALAESTRAE LATINAE subnotabitur, numeros praecedentes accipiet.
 4. Qui decem socios seu subnotatores comparaverit, eo anno subnotatione omnino gratuita fruetur.
 5. Libros et commentarios breviter adnuntiabimus quorum singula tantum nobis missa fuerint exemplaria: quorum autem bina, etiam recensebimus.
 6. Accipientur ut publice edantur in PALAESTRA LATINA non solum hominum litteratorum lucubrationes, quas capiet commentarius noster, sed etiam scriptiunculae ex adolescentibus, quae inter *Exercitationes scholares* exscribi merebuntur.
 7. Nunzia admittuntur quacumque lingua exarata. De versione in Latinum, pro illis quibus placeat, nos curabimus.
-

NUNTIORUM PRETUM

	<u>Per annum.</u>	<u>Per 4 menses.</u>	<u>Per mensem.</u>
Pagina integra:	100 pesseturum	45 pesseturum	15 pesseturum
Paginae dodrans: (3/4)	75 >	35 >	12 >
Paginae damidium:	50 >	28 >	10 >
Paginae quadrans: (1/4)	25 >	18 >	8 >
Paginae octava:	15 >	10 >	5 >

In pagina operculorum quarta pretium nuntiorum erit duplo majus, quae nunzia latine semper redigentur.

Palaestra Latina

MENSTRUUS DE LATITATE COMMENTARIUS

MENSE

NOVEMBRI

CERVARIA in HISPANIA prodit
opera et consilio

MISSIONARIORUM FF. INMACULATI CORDIS
BEATAE MARIAE VIRGINIS

ANNO

MCMXXX.

MODERATORIE:

R. P. Emmanuele JOVÉ, C. M. F.
Litterarum Latinarum Professore et Par-
siensis SOCIETATIS STUDIORUM
LATINORUM Membro.

PALAEASTRA LATINA in campo bonarum litterarum aus-
picato adparet omnibus pervia.

PALAEASTRA LATINA, *Magistros Latinitatis* in suis pagel-
lis ostendet, qui facili calamo linguae Latinae detegent
arcana.

PALAEASTRA LATINA, foribus apertis omnes accipiet *Adu-
lescentes* sive ex lyceis, sive ex gymnasiis, sive ex semina-
riis qui ad humanitatem sese conformare studuerit atque
confirmare.

SUBNOTATIONIS SEDES

In ITALIA. — *Roma* (XVI), Via Giulia 131 - Adm. «Commen-
tarium pro Religiosis».

In GALLIA. — *Marsella*, Rue de la Bibliothèque, 20.

In GERMANIA. — *Weissenhorn* (Bayern) Claretinerkolleg.

In CIVITATIBUS CONFOEDERATIS. — *Compton* (Calif.)
Dominguez Memorial; Ap. R. 2, Box 790.

In HISPANIA { Madrid - Editorial del Cor. de Maria, Ap. 8013
Barcelona » » » Arz. Claret, 47
Cervera (Lérida) PALAESTRA LATINA - Universidad

SUBNOTATIO ANNUA

Primum subnotationis an- { 6 pessetarum in HISPANIA.
nus, solutione antefixa: 7 » in AMERICA.
8 » in RELIQUIS CIVITATIBUS.